












I. 112 pp., 1 folding plate
II. 64 pp.
III. 216 "
IV. 8 leaves, V. 4 leaves
coll. D.



ARS MEMORIÆ:

HACTENVS AB EIVS PRIMO AVTORE, HVIVSCE Secundo quidem incognito, ita obscure studio tradita; vt legere nedum intelligere quis posset

IAM VERO IN GRATIAM ET VSVM IVVENtutis explicata, exemplis aucta

per

M. FRANCISCVM MARTINVM RAVELLIN. IN INCLYTA Academia Heidelbergensi Italicæ & Gallicæ linguæ informatorem.



FRANCOFVRTI
Typis Nicolai Hoffmanni, sumptibus Ioann. Theodorici de Bry.
Anno M. DC. XVII.



AMPLISSIMIS VIrisqueclariſſimis, Dominis Profeſſoribus, ac Heidelbergenſis Academiæ Mecœnatibus & Patronis ſuis obſeruandiſſimis.

CVm ad me peruenerit ars memoriæ artificialis per Italum mihi tradita, qui tantum ei tribuit, vt quod magni muneris loco mihi offerret, hac ipſa arte nihil potius aut antiquius haberet (cuius rei fidem mihi alii quoque litera-

rum studiosi fecerunt, qui libelli huius copia sibi facta, eo maxime è re sua fore iudicarunt.) coniectura assequi potui scientiam hanc si in publicum prodiret, iuuentuti, in cuius institutione totius reipublicæ cardinē versari prudentes semper senserunt, singulari vsui & emolumento futuram. Idque iam facere induxi, quo Academiarum professores teneræ ætati (ceu nutrices & educatores præpositi) insignem hanc artem cum ipso scientiarum lacte exhibentes, omnes alios ductores, qui instrumento hoc com-

commodiſsimo deſtituti in excolenda memoria multū diuque deſudarunt, longe ſuperent, diſcentesque minori negotio ad optatam ſtudiorum metam perducant.

Vobis autem inclytæ Academiæ Mecœnatibus meum hoc, nec abſolute tamen meū, munuſculū offerre volui, non quod meritis veſtris in me collatis referendo ſim, ſed vt aliqua ex parte grati erga vos animi ſignum extaret, qua fiducia fretus vos idipſum ſerena fronte accepturos nullus debito: Deum rogans, vt vos omnes & ſingulos diu

ſoſpites, & incolumes conſeruet, quo & mea, totiusq; huius Academiæ ſalus ac proſperitas humeris veſtris tanquam firmiſsimo Atlanti feliciter innitatur.

V. A.

obſeruantiſſimus

M. Franciſcus Martinus Rauellin.

AD



AD LECTOREM.

QVod vnanimi conſenſu, lector beneuole ſapiẽtes iudicarunt, non minorem quam quærere virtutem eſſe parta tueri; idem de animi quoq; dotibus dicere licet: Nec enim minori induſtria in id incumbendum, vt perceptæ firmiter animo inhæreant, quam qua ratione eædem primo apprehendantur, & addiſcantur. Hinc videmus artem memoriæ in ſummo ſemper pretio habitam, nec iniuria matrem ſapientiæ à philoſophis appellatã; quo nomine etiam Themiſtocles, multique alii ob inſigne memoriæ acumen commendati leguntur. Etſi autem natura vnicuique ſat virium

ad hoc concesserit, tamen non obstat, quominus arte quadam naturę instinctus augeri, & ad maiorē perfectionem reduci possit, ad quam artem cum proxime viam sternere pręsens libellus videatur, visum fuit eum publici iuris facere tuoque iudicio ac censuræ, candide lector, subiicere; in quo si me operæpretium fecisse iudicaueris, erit de quo mihi gratuler, ac ad eius generis alia aliorum commodo, si res ita tulerit, in lucem emittenda me deuinctum agnoscam.

Vale.

ARS



ARS MEMORIAE,

LECTIO PRIMA.




Vicunq; artem aliquam cupit addiſcere, debet adferre amorem & deſiderium, ſine quibus in nullo ſtudio proficitur. Nemo quoque debet offendi exilitate fundamentorum huius artis. Nam Theologia, Iurisprudentia, Medicina & ſeptem artes liberales, aliæq; ſcientię omnes, viginti ſex literis conſeruantur & ad poſteritatē tranſmittuntur, nihil autem ſimplicius illis viginti ſex figurarum alphabeticarum notis. Conſiderandum quoq;, lapides in terra inueniri, arbores ex ipſa exſurgere, ſed tamen ex iis nihil poſſe effici, niſi arte accedente certiſſimum eſt, ex quibuſdā enim fit calx, inſtrumentis alij coaptan-

tur ad ſtructuram, hæ ſectione præparantur ad ſtruendũ focum. Idem de Muſicæ fundamentis eſt, in quibus tres ſignantur claues, & ſex notæ, in his fundamentum conſiſtit artis tam excellentis. Idem quoque de aliis ſentiendum. Si igitur omniũ ſcientiarum, & rerum etiam naturalium parua cognoſcãtur eſſe fundamenta, nemo mirari debet huius artis etiam talia eſſe, quæ ſunt quatuor, locus, imago, ordo, locorum & imaginum praxis, ſiue ipſum exercitium. Eſt autem locus imaginum ſedes, ſeu receptaculum, in quo imago vna vel plures poſſunt collocari.

Vtimur autem in hac arte domibus in quibus obſeruantur cubicula, & in iis parietes hoc ordine: Intrantes apponimus tergum oſtio & qui à ſiniſtra manu eſt, erit primus, quem alij ordine ſequuntur, menſam ſeu pauimentum ponimus pro quinto pariete, & in vnoquoque parie-

pariete vna litera M vt infra, NB. præcedentium figurarum ordo inuerti poteſt & debet, vbi quis eis vtitur in concionibus, & argumentationibus applicandis, vel aliis thema habentibus. Quod quidem thema in medio collocatur & tum procedendum eſt hoc ordine, De



reliquis figuris idem eſto: quæ figuræ ita ſunt diuerſificatæ vt quis gradatim poſſit proficere, & illis vti pro variis occurrentiis. Imago eſt figura cuiuſcunque rei. Imagines rerum ſub aſpectum cadentium valde faciles ſunt, earum vero, quæ

non

non cadunt ſub aſpectum, videntur quidem difficiliores, induſtria tamen humana modum inuenit, quo omnium rerum imagines in promtu habeantur. Quidam multas ſolent dare regulas ad imagines inueniendas, ſed nos generalem vnicam tantum dabimus, qua modis aliis non indigentes, paratas ſine ſtudio, & labore ſemper habeamus: vt ſuo loco dicetur.

Hęc autem diuiditur in propriã, quæ refert illam vnicam tantum rem, cuius eſt imago, vt ſi ponatur imago Chriſti vt reprę ſentet ipſummet Chriſtum, ſed ſi vtar imagine Chriſti, vt legam vir vel homo, eſt impropria &c. Dialecticus hoc ita exprimit paucis: Quando imago indiuidui ponitur pro ipſo indiuiduo eſt propria, ſi vero pro ſpeciei vel generis repræſentatione, aut ſuperioris ponatur, erit impropria. Adducitur hæc diuiſio vt declaretur licere interdum vti imaginibus impro-

impropriis, quia sufficiunt ad excitandam memoriã vt exemplis declarabitur. Altera diuisione imago est perfecta, vt rerum excellentium & rararum, puta Danielis inter leones, Ionæ in ore Balenæ, facti Iudithæ, Estheræ, Iosephi, Tobiæ, &c. alia imperfecta, vt sunt rerum vulgarium & quotidianarum, vt exortum solis & occasum nemo miratur, quoniã quotidie videtur; pluit, non pluit, ventus spirat, profertur hæc in medium diuisio, vt dicamus vtendum imaginibus tantum perfectis: sed hic obiiciet aliquis, quomodo fieri poterit, vt tam celeriter atq; aliquis loquitur, sequamur dicentem si vtendum sit imaginibus perfectis, quomodo tales tam cito potero inuenire? respõdeo ex tempore, tales fieri re aliqua notabili attributa. e. g. ventus spirat, imperfecta; sed ita vehementer vt arbores euertãtur, ædes cadant, iam est perfecta: pluit, imperfecta, sed ita den-

ſe vt omnes vici inundent, nec ſic-cis pedibus tranſire liceat, iam per-fecta eſt: ſol oritur, imperfecta, ſed maxima figura colore rubro vel vi-ridi, nunc perfecta eſt, atq; ita nun-quam hærebimus, quin hoc quod petimus conſequamur.

Tertia pars eſt ordo, de quo ple-raque dicta ſunt, ſed duo tantum reſtant adiicienda, videlicet de-corum in eo obſeruandum. Si quis enim velit Chriſtum in cru-ce pendentem ita repræſentare, vt mater ſupra dextram pedibus con-ſiſtat, Sanctus Ioannes ſupra ſini-ſtram, Maria vero Magdalena ſu-pra caput, valde à decoro deflexeri-mus: ſed oportet ſic facere vt vſus & decorum poſtulant. Item, ſit ſupplicatio, non erit epiſcopus, qui crucem ſequatur, ſed pueri ſymphoniaci, iuniores ſacerdo-tes, deinde ſeniores, canonici, tan-dem ſequitur Epiſcopus. Item de

Rege

Rege intrante ciuitatem cogitandum.

Quarta eſt praxis ſiue exercitium, de quo poſt quintam prælectionem abſolutam, quædam neceſſaria dicemus: octaua vero lectione latum mare praxis nauigabimus, declarantes quomodo Grãmaticæ, Rhetoricæ, Dialecticæ, reliquiſque artibus liberalibus applicetur, Theologiæ, Iuriſprudentiæ, Medicinæ, quomodo aduocati, cõſiliarij, præſides, Legati ad principes, & cuiuſque functionis homines, eadem vti poſſint. Nunc vero manum operi admouentes incipiamus aliquid ad praxin reducere, à minimis paulatim ad maiora progredientes.

Regula vocabulorum intellectorum hæc eſt, (nam non intellecta in quartam reiicimus lectionem, tunc ex profeſſo de iis acturi) de quibus ſi iam tractare vellemus, nihil præter ieiunam tractationem audire-

diretis, ideo consultius videtur iis
omissis, vobis monstrare modum e-
dendi speciminis, quod nemo sine
adminiculo artis potest, etiamsi vi-
ginti continuis annis, aut pluribus
memoriam exercuisset.

Vocabula itaq; intellecta memo-
ria retinentur, imaginibus eorum
in locis positis, attributa insigni ali-
qua actione, quæ ex veteri aut no-
uo sumetur testamento: Ex histo-
riis sacris vel profanis; ex fabulis
poetarum, vel ex vita communi: si
subito nihil ex istis occurrat, licet
fingere ad voluntatem nostram.
Nullum autem poterit dici voca-
bulum, cui non statim possimus ef-
fingere actionem.

Plato quodam tempore docens
de Ideis, inter alios auditores ha-
buit Aristotelem adolescentem ad-
huc, non ea opinione doctrinæ,
qua postea fuit, & Diogenem Cy-
nicum; cumque subtiliter de men-
seitate & cyathitate loqueretur,
neu-

neuter mentem aſſecutus eſt. Ariſtoteles clam ſecum ridebat: Diogenes exclamauit dicens: Menſam quidē & cyathum video, menſeitatem & cyathitatem non video: Reſpondit Plato, non miror; oculos enim quibus menſam & cyathum videas habes; mentem qua menſeitatem & cyathitatem videas, non habes; hæc ſuo loco Eraſmus in apophthegmatibus: ex quibus conſtat Platonem aliquam cognitionem artis habuiſſe, multo tamen clarius id patet ex dialogo, in quo introducit Hyppiam tanquam de magno bono gloriantem, quod 50. vocabula ſemel audita, quolibet ordine repetere poſſet. Hoc autem nemo mortalium (audacter dico) ſine ſubſidio artis poteſt; colligitur ergo aliqua fuiſſe illum adiutum arte. Idipſum auditores noſtri aſſequuntur ex prima lectione, eodem, quo inceperunt audire, die; & ſi vna, duabus,

tribus, aut quatuor ſeptimanis, per ſemihoram bis quotidie quis velit ex hac ſe exercere regula, 100. 200. 300. aut plura repetere poterit.

Conſiderandum pręterea hic eſt, artem tam eſſe naturæ congruentem, vt nullus ſit hominum, quin illa rudi modo, licet nihil vnquam audierit, vtatur. Si quis enim velit cogitare, vbi natus ſum? in qua vrbe, vico, domo, cubiculo: nonne ſtatim ad locum confugiet? Si vero quo patre, matre, qui fratres, ſorores, ſerui, ancillæ? nonne ad imagines confugiet? &c. fieri enim non poteſt, vt alicuius rei recordemur, ne minimæ quidem, niſi auxilio loci aut imaginis. Quemadmodum enim DEVS principia omniũ ſcientiarum & artium infudit hominibus, quibus ſi vti velimus, & in aliquo nos debito modo exercere, excellemus; ſic & in hac fit arte. Aliquando aliquis indoctus, agricola, enthymema vel ſyllogiſmum conficit

ficit, ſolo naturæ ductu, ſi ille arti Dialecticæ operã dediſſet nõne excelluiſſet in ea? idẽ iudiciũ de cęteris artibus liberalibus & mechanicis. Patet igitur hanc artem memoriæ conueniſſe cũ ipſa natura, quam perficit, ideoq; minime negligendam. Sed longius à propoſito deflexímus, ad ſpecimen redeamus. Quamuis enim regula ſit clare expoſita, tamen niſi exemplis declaretur, arbitror non ſatis eam à vobis poſſe comprehendi. Exempla vero hic ponenda non putarem, niſi animus mihi eſſet artis amatores iuuãdi. Diximus ſupra vtendum eſſe cubiculis (in principio) & applicanda vocabula intellecta, vt eo facilius, & maiori affectione, tyrones apprehendere artemque guſtare poſſint. Effingat igitur ſibi aliquis cubiculum cuius parietes quinq; habeant loca in prima figura (licet etiam vnaquaq; aliarum vti poſſet, ſed facilitatis gratia hac contenti erimus)

quæ ſunt quinque,| & in ſingulo pariete tot apponendo 25. erunt, quibus poterunt applicari 25. vocabula diuerſa non voce, ſed mente, vt linteum, culter, calceus, liber, templum| pileus, ſapientia, meretrix, panis, tectum| campana, virgo, bos, ſutor, diligens| fluuius, cuſtos, caro, bombarda, ſtabulum| candela, feneſtra, ſponda, auis, inimicus| En habetis exemplum, iam exerceatis vos in hac prima lectione vt poſtmodum ad alia pergamus.

SECVNDA LECTIO.

SEntentia ſiue textus continuus memoriç commendatur ac retinetur, principalium vocabulorum imaginibus in locis poſitis, minus principalibus ita eſt accommodanda memoria naturalis, vt adiuta imaginibus principalium, etiã minus principalia repetat, ad quod rectius faciendum oportet quatuor diligenter conſiderare. 1. præcipuam

puam imaginem totius ſententiæ, nec refert an illa reuera præcipua ſit,an non; modo quis eam pro tali iudicet. 2. diligenter aduertendum ad primam cuiuſq; ſentẽtiæ dictionem, nam ſi redeuntes ad locum acie mentis vel præcipuã imaginem videamus, vel primam cuiuſq; ſententiæ dictionem, facile memoria naturalis reliqua ſuggerit, perinde atq; in ſcholis pueri, ſi nõ exacte teneãt penſum lectionis, quod tamen aliquoties legerunt; ſi cuiuſq; verſus primum vocabulum, reliquis tectis, liceret videre, facile omnia recitarent, ita quoque hic fieri ſolet. 3. Cauendum eſt ne ſynonymũ pro ſynonymo ſubſtituatur, nam hic facilis ſolet eſſe lapſus: ſi dico mulier, enſis, completi, non tibi dicendum, fœmina, gladius, repleti, &c. 4. Curandum præterea vt ſingulæ dictiones eodem repetantur ordine, quo vel lectæ vel dictatæ fuerunt.

Sed cur nos vrges (aliquis inter-

rogabit) ne synonymũ pro synonymo substituatur, vel ne aliquando ordo nonnihil inuertatur? quorum alterũ vel vtrunq; si mihi permittatur, ordo erit melior & elegantior: illi enim qui primum sententias protulerunt nõ tam de proprietate vocum & collocatione, quã de sensu expedito fuerunt soliciti. Respondeo duabus de causis id vrgeri, prima, vt declaretur per artem id fieri posse: secunda, magnam affert docenti autoritatem, si auditores omnium reuersi sententias iisdem omnino verbis eodemque ordine, in citatis auctorum libris inueniant: si enim ter, quater, aut sæpius id deprehenderint, colligẽt omnes semper sententias ita ab illo in medium produci.

Sed aliquis rogabit forsan modum, quo duo superiora consequi quis possit. Respondeo, forti mentis applicatione ad singula vocabula, & ad collocationẽ: & exercitatione,

ne, quibus ſolis illud aſſequemur, ita vt nos ipſos admiremur.

Præterea ab officio quod in oratione habẽt, ſi enim videamus imaginem nominis ſubſtantiui in accuſatiuo vel ablatiuo poſitam, neceſſe eſt alicunde dependere: ſi coniunctio, iam ſuo fungitur officio: interiectio facile obſeruatur. In aduerbiis opus eſt maiore mentis applicatione: & hæc omnia ſunt, quæ de regula omnium difficillima dicere ſolemus: quæ licet ſic enucleata ſit: exiſtimo tamen praxim vobis videri difficilem, niſi exemplis variis illuſtretur.

Sit itaq; prima ſententia hæc.

Princeps ſine literis, quaſi nauis eſt ſine remige, & volucris ſine pennis: quæ ſic eſt applicanda: ponitur nauis in qua ſtat princeps, cum viro cuius tunica talaris plena eſt aureis literis, in veſte vero principis nulla eſt, & ſic ex oppoſito legam primam partem: deinde conſide-

randa nauis, in iisq; locis in quibus remiges ſedere ſolent, nemo apparet, ac fertur tardo ac obliquo curſu, quod conſidero non ſine cauſa fieri, cum alioqui recto & celeriore procedere deberet, & ſic legam ſecundam partem: ex clauo in malo pendebit grus vel anſer deplumatus: ac inde vltimam partem colligo, & ſic ſententiam, 61. literis oculis exterioribus exhibitam ſex tantum imaginum adminiculo, acie mentis legam: atque hoc exemplo ſufficiat, cũ quilibet ad placitũ ſexcenta ſibi exempla inuenire poſſit.

TERTIA LECTIO.

QVemadmodum ambulantium in ſole vmbra corpus ſequitur, ſic in hac regula imagines comitantur res ipſas. Deinde non opus eſt, vos obligare ad ipſamet verba, quæ duo magnam afferunt facilitatẽ: regula vero hæc eſt: res memoriæ commendantur, cum ſummatim ipſo-

ipſorũ negotoriũ ordo in locis collocatur, In hac tria nobis inſinuantur; primum, omnia quæcunq; volumus applicare, redigenda eſſe in epitomen, non enim tam longe lateque ſicuti à concionatoribus, vel declamatoribus ornandi; captandæque beneuolentię gratia, proponuntur, nobis excipienda ſunt; ſed ſatis erit, ſi ipſas tantum res neceſſarias, ſeu nudas applicemus: ac cum poſtea opus erit, ex nobis ipſis ornabimus applicando. Secundũ, epitome illa erit tam magna, vt vno loco comprehendi non poſſit, nam fingamus biblia in epitomen redacta, tamen erunt libri Geneſis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deutero nomion, &c. & in ſingulis erunt capita, ſed vnumquodq; caput, quod quinquaginta aut centum lineas ſeu verſus continebit, nunc tantum ſex, octo vel decem continebit; & tamen tam paucis verbis, omnia erunt comprehenſa, quæ toto

bibliorum corpore. Idem iudicium de cæteris. Neceſſario itaq; diuiſio in partes maiores & minores ſe ingerit, & qui ex præcedentib. ſtudiis affert promptitudinẽ redigendi aliquid in epitomen & diſerte diuidẽdi in partes maiores & minores, ille valde idoneus eſt ad hanc regulam in praxim reducendam; qui vero id nondum ſunt adepti, vt ſcholaſtici primæ & ſecundæ claſſis &c. debent ſe exercere vt promptitudinẽ vtriusq; conſequantur. Diſcreta aũt diuiſio in eo conſiſtit, vt quæ coniugenda ſunt non ſeparentur: quæ vero ſeparanda ſunt nõ coniũgantur. Tertium accipiendę ſunt imagines minorum partiũ & in locis ponendæ. Quartum adiungimus, videlicet repetitionẽ, de qua ſupra locuti ſumus & poſtea bis terve eiuſdem faciemus mentionem.

Poſſunt autem in comprobationem regulæ ſumi exempla 4. ex veteri, totidem ex nouo Teſta. ex hiſtoriis

ſtoriis, item ſacris & ex fabulis poetarum, & ex vita communi; deinde proponere exempla duodecim, nihil inter ſe cohærentia & ignota, vt oſtendatur regulã æque commode poſſe applicari reb. antea nunquam lectis, aut viſis atque aliis. Sufficiet autem ſi in his 12. veritatem regulæ declaremus. 1. Antiochus Soter &c. 2. Veſpaſianus imperator &c. 3. Alexander Magnus &c. mulier in fætido lacu balneans &c. 4. Vrraca Regina Arragoniæ &c. 6. Gerardus à Marca Cardinalis & Epiſcopus Leodienſis &c. 7. Anna italica &c. 8. Fures tres &c. 9. Erchembaldus Barbuienſis &c. 10. Rex honorãs obuios monachos &c. 11. Agnes reſurgens &c. 12. Procus cũ Amaſia confabulatur &c. aut alias 12. hiſtorias ſibi quis proponat, nam breuitatis gratia hic non integræ narrantur. Æque facile eſt per hanc regulam 25. 30. 40. aut plura retinere exempla memorabilia, vel hiſtorias

atque

atque totidem vocabula. Videbitis ergo veritatem regulę, si eius experientia feceritis.

LECTIO QVARTA.

IN hanc lectionem distulimus tractationem latiorem vocabulorũ non intellectorũ, propterea q̃ difficilior videatur, ieiuna, & præ cæteris sterilior. Veruntamen siquis vnũ ex tota lectione præceptũ ad vsum poterit reducere; erit hęc vna instar aliarum omnium. Ad id autem videmus posse peruenire exercitatione paucorum dierum. Si enim 6. 8. 10. aut 12. vel plures menses insumsimus vt promte legere disceremus, cur non tot diebus, vel septimanis vacabimus huic parti, multo nobiliori & compendiosiori? Vocabula igitur non intellecta quinq; modis memoria retinentur. Primus modus per diuisionem. Si enim vocabulum integrum imaginem non offerat,

ferat, dividendum erit in duas, tres aut plures partes, & videndum erit anne ex aliqua parte imago elici possit, q; fere semper aliquo modo succedet, si tamē non possit inueniri litera vel syllaba erit addenda, vel auferenda in medio vel in fine: vel transponenda.

Sed hic aliquis forte dixerit, oportet me id quasi in aere facere, videtur tam subito fieri non posse. Sed si mihi liceret vnamquamq; dictionem non intellectam scribere & in scripto diuisionem experiri facilius succederet. Quod quidem verum fateor: tamen exercitatio maiorem credibili adfert promtitudinem. Si vero placet secundo vti modo, is talis est, vt habeamus imagines literarum iisque in locis vtamur pro literis; exempli gratia, A. Antonius, Andreas, B. Bernhardus, vel Bartholomęus, C. Cyprianus, vel Cyriacus, & sic de reliquis. Qui modus adeo generalis est, vt nullū

sic

ſit vocabulum, quod hoc exprimi non poſſit, ſi modo vt literis ſcribatur, aptum ſit.

Tertius modus compendioſior quidem, ſed multo difficilior eſt, imagines ſyllabarum inuenire, cum maximo ſint numero, in quo ſic erit procedendum: inueniendæ ſunt in primis omnes ſyllabæ, quod fit quinque modis.

1. Ponuntur vocales, & vnicuique earum ordine conſonantes opponuntur { ab, ac, ad, af / eb ec, ed, ef } &c. 2. ſingulę conſonantes & vnicuique vocales adiungantur { ba be, bi / ca, ce, ci / da, de, di } &c.

3. Interponitur vocalis duab. conſonantibus { bab, bac, bad / beb, bec, bed / cob, coc, cod } &c.

4. Vocalis poſtponitur duab. conſonantibus, vt bra, bre &c. 5. Duabus vel tribus conſonantibus ſubiun-

iungitur vocalis, aut diphtongus, alijs duabus vel tribus conſonantibus ſequentibus; vt plebs, ſtirps, ſtreidts id eſt prælij, in lingua Germanica ſuperiore & inferiore. Sed huiuſmodi monſtroſæ ſunt ſyllabæ, & in raro vſu. Ex omnibus itaque ſyllabis reiiciendæ ſunt inuſitatæ, & remanebunt 2000. aut 3000. tum ex Dictionario quærenda nomina ſubſtantiua, ab iis ſyllabis incipientia, & tam familiaria reddenda, atq; nunc ſunt literæ alphabeti, ac cum vſus poſtulabit (ſi placet hic modus) vtemur, prout demonſtratum eſt.
Quartus eſt vt imago primæ literæ ponatur in loco; & pro duabus aut tribus reſtantibus, attribuatur actio tali inſtrumento, quod in initio ſui illas exhibeant; vt ſi exprimendum eſſet vocabulum oma imago primæ literę eſt Oliuerius, qui matulã effundit vel frangit; capitur prima à matula, coniungitur imagini primę literę & efficit oma: Si vero ponatur
Anto-

Antonius qui molam vertit, capi-
tur mo à mola&cõiungitur imagini
primæ literæ Antonii, & ſic habe-
mus,amo,quod verbum licet ſit in-
tellectum, tamen declarationis er-
go poſitum eſt, hic modus tantum
ſeruit dictiunculis, duarum, trium
aut quatuor literarum. Quintus ve-
ro modus, meo iudicio, aliis omni-
bus præferendus, vt magnis literis
inſigni colore ſcribantur in locis
vocabula non intellecta, & mentis
acie redeuntes per ſingulos locos
videamus ac legamus, quod non
tantum non intellectis, ſed omnib.
non figuratis: vt ſunt voces quatuor
partium indeclinabilium figuræ A-
rithmeticæ &c. poteſt applicari,ac
interdum etiam intellectis, vt cum
nomina propria, virorum,fœmina-
rum,ciuitatum &c. retinenda ſunt.
Poſſunt pręterea hi omnes modi ad
libitum miſceri,vt vna pars per pri-
mum, alia per ſecundum,tertia, aut
quarta,vel alia per quintum, prout
cuius-

cuiuſque iudicio commodiſſimum videbitur, efferantur.

Huic lectioni adiungi ſolet, de perſonarum collocatione & numeris arithmeticis, quæ ſubſeruient ſequentibus lectionibus. Perſonæ tribus modis exprimuntur, 1. per proprium, hoc eſt, quando perſona à nobis viſa collocatur ex imagine nobis ex aſpectu impreſſa. 2. per imaginē & hic latiſſime patet. Nam ſic Patriarchę, Prophetæ, Chriſtus, Apoſtoli, omneſq; ſancti repræſentantur, & omnes qui noſtro ſeculo viuunt, ſeiuncti à nobis. Sic plurimos ſanctos, Pontifices, Imperatores, Reges, illuſtriores homines poſſumus cognoſcere, inſpectis ipſorum imaginibus, & ex ſigno ipſis attributo. Sic Petrus clauem, Paulus gladium, Iohannes calicem habet, &c. 3. modo vtimur, vtroque præcedenti deſtituti, videlicet per ſimile: vtpote perſonam nunquam vidi, imago eius non extat, confu-

giendum igitur ad ſimile, vt ſi velim exprimere Clementem Papam, ponam hominem mihi notum, cui nomen eſt Clemens, quod ex facie nota colligo, cum ipſum inductum concipio veſtibus pontificiis atque ita facies nomen, habitus dignitatem repræſentat. Idem de cæteris eſt iudicium. Malim ego hæc etiam per quintum modũ vocabulorum non intellectorum exprimere. Numeri arithmetici per eundem quoque poſſunt exprimi: ſed ſi quis habere malit non ipſasmet figuras arithmeticas, ſed quod eas repręſentare poſſit, ita eſt accipiendum vt pro 1. candelam, vel vlnam ponamus: pro 2. anſerem, cygnum ſedentem: pro 3. anguillam tortam vel ſerpentem, aut triangularem: pro 4. figuram quadrangularẽ vel pileum ſacerdotalem: pro 5. manum: pro 6. ſtellam: 7. normam murarij, ſeu lignarij: pro 8. calicem, horologium arenarium, perſpicillum:

lum: pro 9. cornu venatorium: pro 10. metam iaculantium, annulum, vel ſerpentem mordentẽ caudam, efferemus. Ex his decem ſimplicibus omnes componuntur: perinde ac in notis arithmeticis fieri videmus.

LECTIO QVINTA.

QVando nobis ipſis habenda erit concio, vel oratio: duo facimus eſſe: Primo præſupponimus, primam illam eſſe ſcriptam vel impreſſam, aut ſaltem animo conceptam. Secundo nos habere locos paratos ad illam collocandam, his duobus præſuppoſitis, prima erit regula, vt ipſam à principio ad finem tarde & attente legamus: vt fere conſideremus quid ſit materię in tota concione: ſecunda erit, vt diuidatur in partes maiores. Thema, primam à themate partem, ſecundam & (quod raro fit) tertiam. Thema in medio primi parietis:

prima pars in medio ſecũdi, ſecunda in medio tertij, tertia in medio tertij collocabitur. Subdiuidentur maiores partes in minores, prout materia ſe patitur ſecari. Tertia imagines partium minorum, quæ ſemper adſunt, erunt collocandæ in circumſtantibus quatuor locis, qui ſi nõ ſufficiant, interpoſitis quatuor aliis, ſecundam locorum figuram habebimus, eaque variabitur tribus modis. Tertia pars continet per diuiſionem viginti quinque locos in vno pariete, qui ſufficiunt longiſſimæ concioni collocandæ: In medio collocabitur ipſum thema & quæcunq; de themate habebimus in viginti circumſtantibus locis ponemus: item in ſecundo & tertio, ac (ſi fuerit) quarto pariete ſiue etiam quinto, quæcunque de vnaquaque parte erunt diſponenda, pro beneplacito cuiuſq;, quemadmodum exemplo latius ad oculum demonſtrabitur.

Et eſt valde facilis labor, cum nobis habenda eſt: nam ſi non ſufficit ſemel legiſſe, bis terve, per temporis interualla legam, mane, meridie & veſperi: ſi collocatio imaginum non tam celeriter procedit, diutius immorabor, non opus eſt feſtinato. Sed plus difficultatis ſubeſſe videtur, cum alterius concionem cupimus excipere, neſcimus enim quid dicturus ſit; tum vnum tantum eſſe fingimus videlicet, nos habere locos valde bene formatos, vt de iis tum non debeamus eſſe ſoliciti, ſi poſt inuocatam S. Spiritus gratiam dicit thema, ſuo loco ponetur, ſi ſtatim, antequam ad explicationem eius progrediatur, diuidat in duas vel tres partes, illæ ſuis quoq; locis diſponentur, ſi non diuidit, ſed thema proſequitur, omnia compendioſe per imagines excipiemus, per regulam rerum. Abſoluto themate diuidit, prima pars ſuo loco ponenda, & item ſecunda, redit ad expli-

çationem primæ partis in viginti locis excipientur, prout dictum eſt. Exempli gratia. Tempus eſt nos jam de ſomno ſurgere, Rom. 13. ſtatim collocabitur homo tenens dextra manu horologium arenarium, ſiniſtra falcem, & alaria habet vel ad pedes, vel ad humeros, iam habes dimidium thema, in vna parte eſt lectica & altera ex oppoſito, ex quibus more quotidiano proſiliunt duo ſeſe veſtientes, in altera parte duo homines qui hactenus male vixerunt, emendant vitam, virtutes exercent, & ſemper in templo rebus diuinis intereſſe videntur, iam altera pars expreſſa eſt. Si dicat triplex in ſacris literis innuitur ſomnus, corporis, peccati & mortis, hoc autem thema de ſecundo genere intelligitur: ponā in vna parte dormientes, in alia peccantes, in alia loculos, quibus cadauera imponuntur, & ſic vlterius progrediar, donec primam partem, ſecundam, & forſan

ſan tertiam etiam abſoluerim, in quibus tota concio vel oratio verſatur. Sed quæret hic quiſpiam, quomodo fieri poteſt, vt tanta celeritate excipiamus atque ille loquitur, etiamſi dedita opera velit verba celerrime proferre.

Quatuor id adminiculis futurũ eſt. Primum, oportet conſiderare hanc artem excipiendi per imagines eſſe compendioſiſſimam, ita vt quod concionator 100. 200 aut 300. vocabulis efferet id 2. 3. aut pauciſſimis excipiatur imaginibus, nemo autem mortalium poteſt duo ſimul verba pronuntiare, neceſſario itaq; plus temporis relinquitur, quam opus eſt ad paucas imagines collocandas, quod ſolum obſeruatum accedente exercitio ſufficeret, ſed tamen alterum eſt, quod docti concionatores in fine ſummatim repetant præcipuas concionis partes, vt abituris auditoribus veluti aculeum relinquant, vt ſi non totam, ſaltem

hoc compendium, idque fit iuxta præcepta Rhetorica & Dialectica, alii vero qui ſtudiis philoſophicis nõ exculti (nam aliis nunquam deerit loquẽdi materia) vel qui promptitudinem concionandi experiẽtia nondum ſufficientem ſibi compararunt, illis poſtquam ſemi horæ ſpatio locuti ſunt, deficit materia, non tamen tacere licet, vel concionem abrumpere, ideoque fit vt ex ante dictis aliquid repetant; idque bis terve in vna euenire poteſt concione, nos vero non tenemur illas repetitiones imaginibus exprimere, ſed ſufficit ſemel ſuo loco eſſe collocatas.

Tertium nulla eſt concio, nulla oratio in qua non multa audiantur, quę antea tenemus ac ſcimus, quod quoties eueniet præcurrere potero concionatorem, ita vt multo celerius excipiam, quam ille loquatur, etiamſi conetur maxime verba mira celeritate profundere. Nam ſi

ex-

exemplum memorabile, vel histo-
riam mihi cognitam incipit propo-
nere, antequam 10 15. aut 20. protu-
lit dictiones, ego paucis imaginib.
exprimo, & expecto quando ali-
quid subiunget, mihi non notum,
aut illud etiam efferam: quod ali-
quoties in vna concione, vel ora-
tione, fieri posset: exempli gratia,
Incipit dicere inter alia, vt autem
luculento monstremus exemplo,
hominibus ecclesiasticis magnum
deferendum honorem etiam à viris
summis, Rex quidã suo nos docuit
exemplo, qui obuiam habens duos
monachos, hæc tantum protulit, e-
go pono Regem honorantem mo-
nachos, fratrem reprehendentem,
tubicinem ante ædes fratris excur-
rere ad regem & cum illo loqui pal-
lido vultu, membrisque trementi-
bus, deinde abire, absolui, ille vix
20. expressit dictiones & ego totum
exemplum notaui &c.

Sed quid faciendum, illo mihi

nota dicente, inſtituenda ne erit aliqua repetitio dictorum, id aliqui mihi ſuadere voluerunt, ſed malim attente & patienter audire, licet ſat mihi cognita. Nam ſi inſtitueretur repetitio, forte antequam illa eſſet abſoluta, cõcionator aliud diceret, atque ita illam abrumpere cogerer: quod confuſionis cauſa eſſe poſſet. Quartum eſt ipſa exercitatio, vt poſtquã hæc ita percepta, incipiamus concionem ſimplicem, ac non nimis copioſam applicare, omiſſis in principio citationibus, donec conſequuti ſimus concionem ſatis fœliciter exprimere, ſine citationibus: deinde idẽ tentabimus & quinque tantum citationes excellentiores locabimus, quo comparato 8. retinebimus: quod ſatis eſt. Nam ſi ex vnaquaque concione quinq; aut octo retinerentur citationes, anno abſoluto vno duob. aut tribus præcipua vtriusque Teſtamenti memoria & Doctorum tenebimus. Sed quid

quid ſi concionator neque proponat, neque diuidat, ſed Epiſtolam aut Euangelium ordine recitet, deinde interpretetur, quid tunc agendum? tum oportet à principio ad finem ſequi excipiendo à primo ad 2. 3. 4. 5. 6. &c. locum. Sed quid ſi valde celeriter ſua efferat, & aliquis nondum ſufficientẽ acquiſierit promptitudinem? Oportet duos aut tres locos relinquere vacuos, præmiſſa electione mentis, quod hoc & illud in iſto vel illo loco fuerit ponendũ, ac tum repetentes, acie mentis vacuos tranſibimus, hoc ipſo, quod vacant, & electio præcedens, efficient vt non minus occurrant atq; illa, quæ per imagines fuerunt deſcripta.

Anne eſt alius modus retinendæ concionis facilior? eſt equidem ſed non tam vehemens quam ſupra dictus; Videlicet, vt auditurus concionem habeat locos bene ſibi impreſſos, ac ſecum ita cogitet; cupio 25.

particulas, easque præcipuas ex hac concione retinere, quarum vnamquamque ponam in vno loco nulla addita imagine, vel litera, tantum iuuabo diuisione, locis ordine acceptis, per tertiam figuram & certum est, quod si accedat exercitatio, decuplo facilius, quam his non adiutus, retinebo, & hic modus seruit fœminis & idiotis. Sed longe alia ratio videtur orationis. Nam in hac 8. 10. aut 11. interdum sunt partes maiores, in concione tres, aut ad summum quatuor: vel est enim exordium, propositio, narratio vel partitio ab iis quæ natiuitatem antecesserunt, à natiuitate, pueritia, adolescentia, virili ætate, senectute & morte, & ab iis quæ mortem sunt consequuta, conclusio, in personis laudandis seu vituperandis. In rebus. Exordium, propositio, partitio vel narratio, prima confirmatio ab honesto. Secunda ab vtili. Tertia à iucundo. Quarta à necessario.

Quinta

Quinta à facili, conclusio. Est igitur alio modo procedendum; qui enim ponetur thema in medio primi parietis, prima pars in medio secundi &c. si non loquatur de his? Suadere rem lineis rectis procedere; per formam quartam, & à prima manu incipere, & aliquid collocare: deinde ad secundam &c. E. G. Exordium debet esse de verbo, igitur in prima: si vero id commode fieri nō posset, fiat subdiuisio in vna propositioni vel partitioni sufficit vna manus (sin narratio fuerit) iterum fiat subdiuisio, in quarto, quæ natiuitatē antecesserunt; quinto à natiuitate; sexto à pueritia; si vnus nō sufficit, fiat subdiuisio & vna sufficient &c. vel si per secundam figuram, Exordiū in primo; propositio vel partitio in secūdo; prima confirmatio ab honesto in tertio, quarto, quinto, sexto, septimo, octauo, fac esse finē; restant duo loci vacui primi parietis in primo sequentis ab vtili, in secundo,

tertio,

tertio, quarto, quinto, ſexto, ſeptimo octauo, nono, decimo, nondũ finis; in primo ſequentis, ſecundo, tertio, quarto, fingamus eſſe finem; reſtant ſex vacui; in primo ſequentis à ſecundo, & tertio, quarto, quinto, ſexto, ſeptimo finis eſt, relinquantur tres &c.

Videtur enim conſultius manere aliquos locos vacuos & nouam partem maiorẽ ab alio pariete ſequenti incipere, quam in eodem continuare; quia memoria valde iuuari videtur illa diuiſione, & quid refert, ſi multi vacent, cum breui tempore infinitum numerum locorum poſſimus habere, etiam ſine labore & ſtudio; modo præparatio requiſita præceſſerit? Huic tractatui ſolemus adiungere modum collocandorum argumentorum, non propter ſimilitudinem materiæ, ſed diſpoſitionis; argumentationum propriæ ſunt ſpecies quatuor, Syllogiſmus, Enthymema, Inductio, & ex-

& exemplum, inter quas perfectissima est ſyllogiſmus; hic trib. conſtat enuntiationibus, maiore, minore & concluſione: maior in medio parietis primi ponetur, & in quatuor vel nouem locis circumſtantibus (pro vt fueris vſus prima vel ſecunda figura: prima enim tantum quinque locos habet, ſecunda vero 10.) quicquid de ea erit retentu dignũ: ſic minor in ſecundo; concluſio in tertio. Quod ſi tres eſſent præmiſſæ, tertia ponetur in tertio loco: ſi vero contingat fieri proſyllogiſmũ, tum illa enũciatio in tertio collocabitur, & concluſio in quarto. Si vero Enthymema fuerit & maior defuerit, vacabit locus; item ſi minor donec inter argumentum proferatur ac tum illa ſuis quoque locis diſponetur; vt modo dictum eſt. Quod ſi ſit inductio, tum tres enuntiationes ponentur, & tertiæ addetur ſignum, quod ſignificat, & ſic de cæteris; & in quarto ponetur cõ-

clusio: nam cum poſſint plura eſſe membra in inductione, longum eſſet omnia collocare, vt omnis homo eſt mortalis, omnis beſtia eſt mortalis &c. ergo omne animal eſt mortale. Ex his facile colligitur, quomodo Sorites, Dilemma, vel aliæ argumentandi formæ ſint diſponendæ.

Reſtat, vt formam nunc aliquam praxis, iuxta promiſſum, oſtendamus, nihil n. obſtat quin iam nos in hactenus dictis exercere incipiamus in ſequenti lectione.

LECTIO SEXTA.

PRomiſimus lectione prima, latius ſexta de his tractaturos, ſic igitur nunc accipite: quinque formis ſupra dictis ſextam addi poſſe, vt ductis 11. lineis rectis totidemque transuerſis in vno pariete ſint centum loca & in toto cubiculo 500. hoc modo

quæ

1	2	3	4	5	6	7	8	9	10
11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
21	22	23	24	25	26	27	28	29	30
31	32	33	34	35	36	37	38	39	40
41	42	43	44	45	46	47	48	49	50
51	52	53	54	55	56	57	58	59	60
61	62	63	64	65	66	67	68	69	70
71	72	73	74	75	76	77	78	79	80
81	82	83	84	85	86	87	88	89	90
91	92	93	94	95	96	97	98	99	100

quæ loca ſi magna eſſent, ſingula primam formam, ſecundam, tertiam, quartam vel quintam poſſent admittere, & valde augeri numero, ſed qui meum ſequetur conſilium numerum 100. nunquam excedet, ratio monet & in promptu eſt, alioqui quatuor miliones in vno demonſtrarem cubiculo, quod ad cognitionem potius, quam ad actionem ſpectat. Nonnulli capiunt in frontibus domorum elegan-

tium, alii in magnis libris, vnicuique ſua permittitur electio; ſed à noſtro conſilio non facile recedendum. Magis ad rem facit, ex vno cubiculo facere tria, ſuſpenſis nempe quatuor tapetis reſpondentibus vſu parieti: vt ſupra dictum eſt; & hi ſeruiunt magnis operibus & reb. applicandis, dum pro textu vnum pro interpretatione duos habent locos. Videtur nobis nō poſſe tradi meliores, quam prima factum eſt lectione & quinta: cogitent illi quantum velint, vna tantum relinquitur quæſtio, an vtendum realibus an vero imaginariis, & omnes putant illos meliores, quod ſimpliciter verum eſſe fateor, ſed conditione nego. Si enim in formatione horum tantum operæ ſtudiique poſuerimus, quantum ratio dictat & res exigit, intra duas tresue ſeptimanas, vel ad ſummum vno menſe totam hanc partem perficere non erit moleſtum; ſi bis, ter,

quater

quater, in die semihora tantum huic incumbamus ac postea sine studio & labore infinitos habebimus sufficientesque omnibus grauioribus disciplinis, artibus liberalibus, historiis &c. excipiendis: & hoc est vnum ex præcipuis quæ arti accesserunt, & si quid vellem in ea lectores celare, in hoc fieri posset sine suspicione doli, est autem conditio (quam si quis nullo modo posset attingere, non esset eis vtendum) hæc, vt quis exacte formet, & tam fortiter mentem applicet, ac toties animo reuoluat, vt iam ipsi desinant esse imaginarii. Vt vero fœlicius id succedat, oportet primum eligere cubiculum reale atq; proportionatum, idque oculis notare, manibus palpare, in hoc sensus non falluntur, vides lapideos parietes, trabes ligneas & asseres, per medium istius transire te ostio fingas aperto ibiq; aliud esse omni ex parte simile alteri, id constare ea-

dem materia ac figuris in 2.3.4.5.&c. vſque ad 20. ac habebis iam domum compoſitam. Tum eodem modo duas, tres, quatuor vſque ad viginti vel plures domos effinges, vel quadrata vel circulari figura ordinatas, in fronte cuiusque oſtii imago ponatur primo Chriſti, deinde Petri, Lini, Cleti, Clemētis, Anacleti &c. per omnes pontifices imperatores, Reges Galliæ, Angliæ, Scotię, Hiſpaniæ aliosque Europæ progrediendum. Si quis malit vnum in oſtio, & alios quatuor in quatuor cubiculi angulis ſtare, plus ille quidem proficiet, ſed maior requiritur etiam labor & diligentia, & de iſtis diſtinctiuis hactenus nihil dixeramus, quæ ſuam ſecum fuerunt vtilitatem. Nam aliud agentes, vtilia memoriæ retinenda commendamus. Videlicet pontifices, Imperatores, Reges &c. vt eos quouis ordine ſemper repetere tam promtum ſit, atq; vocabula. Habentes vnum

ca-

ſtrum perfectiſſime memoriæ impreſſum, inſtar literarum alphabeticarum, opus eſt aliquot ordine habere colores valde diſtinctos, quib. duabus rebus præſuppoſitis, iam intra ſpatium orationis Dominicæ, quot voluerimus, habebimus. Nam ſimile caſtrum primo, alio in loco concipio, variato tantum colore diſtinctiuorum, qui in primo caſtro eſt ruber: in ſecundo albus, in tertio niger, in quarto viridis; in quinto flauus, in ſexto cæruleus, in ſeptimo cineritius, in octauo caſtaneus, in nono carneus, in decimo mortifolius, in vndecimo marinus, in duodecimo citrius: ac totidem habeo locos in vno quoque caſtro, quot in primo. Si vero quis malit formare domum 100. cubiculorum & in vnoquoque eorum 100. locos per tertiã figurã habebit locos 250000. quod tam celeriter ac facile fit atque aliud, ſed maiore ad hocopus eſt præparatione. Vnaquæque au-

tem domus habebit in pyramide, ſuo loco poſitas imagines volucrũ maiorũ, qui ſunt Aquila, Gryphus, ſtruthio, Pauo, Grus, Ciconia, Falco, Vultur, Gallus Indicus, Anſer, Pſittacus, Gallus gallinaceus, Gallina, Ardea, Cycnus, Phaſianus, Perdix, Pica, Graculus, Turtur, Columba, Coruus, Cornix, Paſſer, Hirundo, vt ſic vna ab alia diſcerni poſſit. Poſtquam autem vnum caſtrum cum omnibus circumſtantiis erit memoriæ fixum, tum ceſſat labor formandorum quotidie vno horæ quadrante locorum, qui ante hanc inuentionẽ per totam vitam erat continuandus. Habens itaque aliquis 12. caſtra vnicuique ſuam attribuet materiam vt vnum literarum humaniorum, alterum Theologiæ, tertium Iuriſprudentię quartum Medicinæ, quintum Diui Thomę ſextum hiſtoriarum ſacrarum, ſeptimum hiſtoriarum prophanarum, octauum Exempla memorabilium

bilium ſacrorum, nonum prophanorum, decimum comicorum, vndecimum controuerſiarum, duodecimum caſuum conſcientiæ &c. ac per ſubdiuiſionem per domos, cubicula, parietes de qua octaua lectione in ſpecie latius.

LECTIO SEPTIMA.

DE collocatione librorum & citatione auctorum de dictatione & celeri ſcriptione nunc agendum eſt nobis. Quod ad primum attinet, cum collocandi nobis ſunt libri, neceſſe eſt imagines eorũ habere paratas, vt autem rectius hoc ſuccedat, quædam ſunt obſeruãda, 1. ſcribendi omnes libri quos iudicamus nobis exprimendos, 2. quærenda imago idonea vna vel plures ad eum repræſentandum, quæ ſumetur ex materia totius libri, vel partis, ſeu capitis, vel ex titulo, vel ex vna duabus, aut tribus primis ti-

tuli vocibus, exempli gratia, cupio exprimere Genesin: in superficie libri stabit DEVS creans cœlum, terram & omnia quæ in eis sunt. Exodum, Moyses tenebit librum transuersum, vbi filij Israel transierunt siccis pedibus mare rubrum, Pharao cum suis submergitur: Leuiticum, Moyses tenet librum in cuius fronte ipsius est imago cum leuita: Numerorum, Moyses tenet librum in cuius fronte sunt decem notæ numeri arithmetici: Deuteronomij, Moyses tenebit in superficie libri tabulas, in quibus descripta lex Dei, quam populo explicat. Liber primus Regum, Saul primus rex Israelitarũ tenet manu librum. secundum Dauid tenet, tertium manu tenet Salomon; quartum Iehu. Liber primus Esdræ, tenet hic librum, in cuius fronte nota primi numeri arithmetici. Secundus, idẽ tenet librum cum nota 2. numeri, idem iudicium de 3. & 4. Tobias cum

cum angelo, Iuditha cum Holoferno, Hestera cum Assuero, Ionas in ore Balenæ, Ezechias cum serra, Ieremias in lacu, Daniel in spelunca leonũ, &c. Matthæus cum angelo, Lucas cum boue, Marcus cum leone, Iohannes cum aquila exprimitur, & si idem diuersos scripsit libros, distinguendi sunt aliquo modo. Marcus scripsit Euangelium, ponitur cum Christo: Scripsit Acta Apostolorum, pro quibus cum Apostolis collocabitur. Ioannes scripsit Euangelium, pro quo exprimendo, ponetur in suggesto vnde denuntiari solet: Idem scripsit Epistolas, hoc exprimetur si mensę assidens scribat: Apocalypsim, pro qua exprimenda stabit oculis in cœlum defixis, tanquam res nouas & admirabiles videns. Idem, vel simile iudicium est de reliquis.

Iustinianus, pro primo libro institutionum, stabit Iustinianus tenens paruũ libellum manu, in quo

erit nota arithmetica primum exprimens numerum, pro ſecundo 2. pro tertio 3. pro quarto 4. Idem ſi magnum teneat librum, in quo ſit figura primum, ſecundum, &c. ad 50. vſque exprimens, legam libro Digeſt. 1. 2. 3. &c. Si Cod. addita figura, legam Iuſtinianus Codicis lib. 1. 2. 3. &c. Sic Nouel. & Virgilius libro Æneidis, 1. 2. 3. &c. ſtabit Virgil. cum Ænea tenens librum, inſcripto numero arithmetico, Virgil. lib. Bucolicorum, ſtabit Virg. tenens manu librum, in cuius ſuperficie multa pecora, Virg. libro Georgicorum in ſuperficie erunt imagines multorum laborantium terram, &c.

Ouidius libro triſtium, Ouidius librum habet in manu vultu admodum triſti: De ponto, cum libro ſtabit in ponte, metamorphoſis, in ſuperficie libri. Daphne mutabitur in laurum Acteon in ceruum, & ſic de cæteris. Nemo vnquam fuit auditorum

torum, qui hic aliquam inuenit difficultatem, quæ maior videtur incitatione, quam vulgo quotationem voce barbara appellant, quæ variatur pro diuersitate professionum. Theologus dicit: Quæst. Resp. articulo, membro, parte, &c. Iurisconsultus, Inst. Dig. Cod. Nouel. tit. leges paragrapho, &c. Medicus, Fen. tract. cap. aphor. sect. &c. Philosophus, Tex. comment. reducitur autem omnis citatio ad tria capita, videlicet ad librum, ad nomẽ libri, & adiuncta libri, & nomini libri. De libris exprimendis modo dictum est, cui illud adiungi posse videtur, ipsos posse exprimi per imagines librorum, quos possidemus, quosque in bibliotheca habemus, ex adspectu vnum ab aliis secernentes: vt si velim exprimere, Iustus Lipsius libro 5. polit. ponam imaginem Iusti Lipsij, & dabo illi in manum meum librum, quẽ inter alios noui, in quo politica eius sunt: Vult aliquis citare hoc

re hoc modo: August. lib. 2. de ciuit. Dei, cap. 5. ponitur August. tenet manu librum, digiti duo erecti indicant secundo, retro cum in pariete est ciuitas, in cuius supremitate est turris, est statua Dei, alteram manum iuxta caput habet extensis digitis, quæ repræsentat quinto, si maior fuerit quinario, vt libri, vel capior fuerit quinario, vt libri, vel capitis numerus non possit digitis quinque ostendi, tum oportet vel ipsis notis arithmeticis maioribus, in superficie libri positis, vel figuris ipsas repræsentantibus indicare: altera manu tenentes instrumenta iuxta caput, simplicia vel composita, repræsentantia quem volumus numerum. Si autem idem auctor sæpius citetur, vel diuersorum libri & capita, vt à Iurisconsultis fit, qui semifaciem vel totam continuis diuersorum auctorum citationibus replent, tum valde difficilis ea videtur tractatio: neq; vllus de arte memoriæ scribens, mihi hac in parte satisfacit.

Et

Et licet multos modos tradiderint alij de hac arte agentes, tamen ego post longam rei discussionem, existimo illas citationes maiusculis literis, aut signis iuxta locum cui adhibentur scribendas, ac forti mentis applicatione, frequentiq; repetitione, oculis exterioribus sic imprimendas, vt deinde à charta ad suum locum translatæ, acie mentis videantur ac repetãtur. Quod mihi valde probatur, ac ad praxim reduci non ita difficulter videtur. Quod si id non placet via communi memoriæ mandentur, frequenti lectione, forti mentis applicatione, & repetitione. Nihil enim est tam difficile, quin paulatim obtineri possit. Nunc ad dictationem admirabilem, omniumque nescientium captum excedentem, transeamus. Quæcunq; alteri cupimus dictare, illa primum ipsi exacte memoria tenere debemus, non cõmuni modo, sed per regulas artis, atque ita a-

pud nos conſtituamus, vt primo ſcribę primum, ſecũdo ſecundum, tertio tertium, quarto quartum parietem, quinto menſam aſſignemus vel pauimentum, ac deinde ex ſuis cuique locis acie mentis legentes dictemus vocabula, ſententias aut res ſiue epiſtolas, quemadmodum exemplis facilime demonſtrare licebit. In vocabulis tam certo pede firmiterque proceditur, vt ſi quis à principio, medio, fine, recto vel retrogrado iubeat ordine procedere, ſine hæſitatione & errore ſuccedat. In ſententiis & textu continuo eſt maior difficultas, ſed quæ demonſtratione vnius horæ ita ſuperetur, vt ante illam pręteritam duodecim repetantur verbotenus eodem ordine. In epiſtolis & textu continuo, eodem nos hoc modo dirigere debemus: diuidenda erit epiſtola vel proſa in partes maiores vnius lineę, ſeſqui, duarum vel trium: Deinde ſingulæ partes iuxta regulam ſen-

ten-

tentiarum dirigendæ, pro vnaquaque epiſtola opus eſt cubiculo: diſpoſitis igitur octo, decem, viginti, triginta, quinquaginta, centum, (nam eo artificium pertingit) ex ſuis cuiq; locis & cubiculis dictabimus. Si vna epiſtola quindecim, alia octodecim, alia viginti habeat particulas, redeuntes prȩteribimus illos ſcribas, qui abſoluerunt: in octo, decem, vel duodecim non ita difficile eſt, ſed quinquaginta, octuaginta, vel centum dictare magnam requirit præparationẽ: videlicet quatuor, quinq;, vel ſex menſium. In qua, quod nos maxime moleſtat, eſt: meminiſſe quid cuiq; vltimo dixerimus: pro cuius leuamine multa fuerunt à nobis excogitata, & ab aliis ſuggeſta, quæ iam reiicimus, vtpote melioribus inuentis: ſcilicet, oportet vbi tertia forma & in vnoquoque nec plus nec minus collocare, quam in ſingulis vicibus volumus dictare, nunquam autem

dubi-

dubitabo è quo vltimo dictauerim,
atq; ſic certiſſime procedemus, ni-
hil hæſitantes, ſi ipſi exacte ſecun-
dum artis regulas tenemus. Sed ro-
gabit hic aliquis, quam vtilitatem
habet illa dictatio, de verbo ad ver-
bum, in quinquaginta, octuaginta,
vel centum epiſtolis? Reſpondeo
nihil eſſe tam ieiunum ac ſterile,
quod non habeat ſuam vtilitatem,
ſi loco & tempore debito adhibea-
tur: prima vtilitas eſt, ipſa cognitio,
in qua nos id aſſequimur, quod per-
ſpicaciſſimi quiq; neutiquam poſ-
ſunt animo comprehẽdere: ſecun-
da, ſi quis ita ſeſe in hac parte exer-
cuit vt feliciter poſſit id præſtare,
ille ſi coram hominib. in dignitate
conſtitutis, velit oſtendere, immor-
talem nominis gloriam conſeque-
tur, vnuſquiſque in alias, ad amicos
rem tam admirabilem tranſcribe-
ret prouincias, hiſtoricus in ſuam
inſereret hiſtoriam, tanquam rem
ſumma dignam admiratione, & an-

tea nunquam viſam, alij ex eo in ſuas transferrent hiſtorias, quocunque ibit, in ea, vel aliis ciuitatibus, digito monſtrabitur, eritque omnibus admirationi: tertia qui à ſecretis eſt imperatori, aut regi, mortuus eſt, multi in locum eius cupiũt ſuccedere, inter alios vnus eſt peritus edendi ſpeciminis ſupra dicti, offert libellum & ſpecimen ac ſe omnibus aliis præferendũ ait, ſi ſuis rebus Imperator vel Rex ille bene conſultum velit: neq; ſolum dictaturum 100. epiſtolas, ſed etiam 100. epiſtolarum materiam ſemel auditam ſic arti applicaturum, vt reuerſus in Muſęum eas in ordinem ac debitam redigat formam, ex quo patet omnia à ſe retineri poſſe, quæ coram imperatore aut rege dicerentur: quorum aliqua pars non raro effluit, non ſine incommodo Imperatoris, Regis, aut Reipub. quæ conſiderata mouere poſſunt, vt aliis omnibus præferatur. Vel eſt, qui

ſtudiis diligenter incumbit, pera-
cto curſu philoſophico à ſuperiori
facultate, morte patris impeditur, à
quo potuit ſuſtentari viuo, ſed ceſ-
ſante iam lucro, viduæ deſunt eæ fa-
cultates, offert libellum ſupplicem
principi Eccleſiaſtico vel ciuili, de-
ſiderium ac mentem indicat, petit
recipi in numerum alumnorum, ne
repulſam patiatur, offert ſpecimen,
admittitur, admiratione & ſpe con-
cepta de obſequio & ſeruitio Rei-
pub. Chriſtianæ ab illo præſtando,
recipitur inter alumnos, continuat
ſtudium, curſum abſoluit, ac iam
certatim ad diuerſa officia ſolicita-
tur, factus non ſibi tantum, ſed fa-
miliæ baculus, & ornamentum. A-
lius iniecit mentionem, ſe 20. aut
25. dictaturum: alij ſupra fidem eſſe
iudicant, certant depoſito pignore,
ille ex animi ſententia re geſta, pi-
gnus 100. aureorum aufert. Poſtre-
mo cupit quis admirationi eſſe a-
liis, ac per ora multorum volare? in
cœtu

cœtu idoneo proponit animi gratia, si faciat, Devs bone quanta hic admiratio, qualis de eo opinio, quæ fama! Sed hæc nimis operosa, & à communi praxi remota, cupitis scire modum in vsu quotidiano positum, vt scilicet, accepto literarum fasciculo, lectisq; ordine epistolis, statim dictemus, 4.5.6.7.8. nam vt pluribus rarissime datur occasio, quamuis per artem facilius sit duodecim, quam sine arte tribus dictare aut quatuor, quod à nonnullis factum legitur: fiet hoc facile, & tum pro 20. epistolis, vno tantum opus est cubiculo formæ tertiæ. Lecta vnaquaq;, considero quid respondendum, eaque diuisa per regulam rerum suis pono locis, ad vnam tres articuli, ad alteram quinque, ad tertiam duo, ad quartam quatuor, ad quintam vnus, ad sextam quatuor, ad septimam duo, ad octauam tres sunt rescribendi, subito ac paucissimis colloco imaginibus: deinde iu-

beo excipere ſcribas, dirigo me ſecundum artem, ac feliciter ſuccedit negocium.

Tribus modis tam celeriter ſcribere poſſumus, atque aliquis loquitur. Primus nullam requirit exercitationem præcedentem, quia ex tempore ad praxim redigi poteſt ab iis qui ſunt ita verſati in materia de qua agitur, vt eius terminos recte percipiant, atque tum ſcribitur tantum prima litera longiorum dictionum, ſpatio relicto aliis poſtea ſupplendis, quod non erit difficile propter recentem memoriam, ſi ſtatim fiat repetitio.

Secundus fit per abbreuiationes, qui non omnino ab vſu communi eſt remotus, ſed perficiendus eſt, colligẽda duo millia vocabulorum vſitatiorum, eius profeſſionis, cui quis dat operam eoque ordine ſcribenda, & abbreuiationes quas ex antiquis libris eruimus à latere addemus, ſi bene factæ, quod ſi pluribus

bus literis constent, superfluæ reiiciēdæ, vel si corrigi possunt, lima erit admouenda: quorum nō inuenitur abbreuiatio, nobis erit excogitanda, fit autē omnis vel per vnā literā, vel per duas, aut per tres, raro debet ex quatuor cōstare, vt, n, g, g, enim, ergo, igitur, ex duabus prima & vltima, tn, qm, tamen quoniā, vr, videtur: vel ex tribus, vt qdm, oio, opt, vbr, quemadmodum, omnino, oportet, videbitur: ex prima vltima, & vna ex mediis, maxime idonea ad repræsentandum. Multum enim interest quænam ex mediis sumatur. Si ex opt, aliam quam p ex mediis sumas, & d, ex qdm, nō erit tam elegans vocabulum. Habens itaq; impletum numerum, labor subeundus quotidie memoriæ mandandi quinque vel decem, aut viginti, vt citius progrediatur: mane quadrante horæ decem, & vesperi totidem, donec omnes tam exacte teneat, atq; nunc in promptu habet

notas alphabeticas. Tum haud du-
bie loquentem calamo facile aſſe-
quetur. Tertius fit per ſigna, & eſt
nobiliſſimus ac compẽdioſiſſimus.
Seligũtur vocabula talia, & eo mo-
do quo dictum eſt in ſecundo: ordi-
ne deſcribuntur: vnicuique ſuum
opponitur ſignum: deinde memo-
riæ commendantur, vt dictum eſt
ſupra: Sufficiunt autem centum ſi-
gna, quorum vnum quodque vige-
ſies varietur, ſicuti autem hoc fit in
centum, ita in cæteris omnibus.
Exempli gratia: T. teſtamentum,
⊥, teſtari: ⊢, teſtator ⊣, teſta-
mentaliter, o, obedientia: ♀, obe-
dire: ♁, obediens: o–, obedienter,
&c. Intelligenti pauca. Facile eſt
autem eum numerum excogitare
vel ab aliis accipere: vocabula ſcri-
bentur ordine, deinde ſcindentur
forficula ſingula, miſcebuntur agi-
tatione in pileo vel olla, ne quæ ab
eadem litera incipiunt coniungan-
tur, deinde prout vnumquodque
in

in manum venerit aſcribetur ſigno. Quod hoc modo ſcriptum eſt, à nemine mortalium, imo ne quidẽ ab omnibus ſimul huic rei operam nauantibus, naturaliter poteſt detegi, etiamſi totam vitam inſumerent. Si vero quis velit conuenire in interpretatione ſignorũ cum aliis, tum vnus alterius legeret ſcripturam, ſi vero hodie cum nonnullis conuenero, cras velim alio ordine componere ſigna, iterũ erunt tam ignari lecturæ, atque alij, variatio poteſt multis fieri modis.

Hos tres modos licet miſcere, vt vnum vel duo per primum, deinde per ſecundum vel tertium, tum rurſus per quemlibet trium ad lubitum cuiuſque.

Eſt autem obſeruandum in ſcriptione celeri, non omnia vocabula eſſe ponenda, ſed tantum neceſſaria, ad rem nobis ſuggerendam: ornatus gratia in publico loquentes, & captandæ beneuolentiæ,

pluribus quam opus eſt, vtuntur.

OCTAVA LECTIO.

QVomodo ſeptem artibus liberalibus, grauiorib. diſciplinis, Theologiæ, Iuriſprudentiæ, Medicinæ applicetur; quomodo Procuratores, Aduocati, Cōſiliarii, Præſides, Legati ad Principes, & alii ea in ſuo quiſque officio vti poſſit, nunc eſt declarandum. Grammaticæ, Rhetoricæ, & Dialecticæ, omnium difficilime accommodari poteſt, Arithmeticæ, Muſicæ, Geometriæ, & Aſtronomię, facilius, quod hę idoneas habeant imagines, quas in illis inuenire difficilimum eſt. Capienda eſt itaque Grammatica diſcrete compoſita, in quo nihil rerum neceſſariarū deſit, & cui nihil etiam ſit ſuperflui, bono ordine & præceptionum veritate inſignis, diuidēdo in quatuor partes, Rudimenta, Synțaxim, proſodiam, & annotationes, Rudimenta ponentur in primo latere

tere primæ domus caſtri literarum humaniorum, ſyntaxis in ſecundo, Proſodia in tertio, Annotationes in quarto latere. In primo cubiculo aliaque nonnulla, literæ earumque diuiſio, quid ex ipſis fiat, & octo orationis partes vſque ad Nomen. In octo ſequentibus cubiculis omnia quę de nomine habentur, In decimo cubiculo Pronomen, in octo ſequentibus omnia de verbo, In decimonono cubiculo de participio, In vigeſimo de Aduerbio, In vigeſimo primo de coniunctione, In vigeſimo ſecundo de Præpoſitione & Interiectione: Vacant tria cubicula. In ſecundi lateris primo cubiculo Definitio, Diuiſio, Propoſitum ſeu finis, & in quarto pariete quinque regulæ concordantice, in ſequentib. duobus cubiculis, Regimen Nominatiui, in alijs duobus genitiui, Sic Ablatiui, Accuſatiui & Datiui. Item Infinitiui, Participii, Aduerbii, Cōiunctionis, Præpoſitionis, Interie-

ctionis, In aliis duobus de figuris. In tertio latere Prosodia, quæ valde paucis cubiculis comprehendi potest: sed non refert si vacent aliquot In quarto latere Annotationes scitu necessariæ. Eodem modo Rhetorica, Dialectica & ceteræ in quatuor æquales diuidantur partes, & applicentur vt dictum est, in genere quidem, sed in specie malitis scire. Quinq; modis exprimi omnia possunt, quorum aliquem eligemus nostro captui, & ingenio conuenientiorẽ. Primus est omnium difficilimus, vt videlicet per imagines quælescunq; figurentur. Secundus mihi præ cæteris placet: qui magnis literis repræsentat insigni colore: & sic in vnoquoque loco, definitionem, diuisionem, aut aliud pono, ꝙ lineam vnam, duas vel tres continet, & hoc locum habet in omnibus non habentibus in promptu imagines. Tertius transfert sex, octo, vel decem lineas impressas à libro

&

& diſponit in ſuo loco parietis, & ſic multa in vno cubiculo collocantur. Quartus librum ſcindit in partes & eas materialiter affigit, ita vt in centum locis totam videat Grammaticam, in totidem Rhetoricam, Dialecticam, & Biblia, Diuũ Thomam, Inſtitutiones Iuris, Dig. Cod. Nouel. Inſt. Med. Hippo. Galenum, & alios, Hiſtorias, & quicquid præterea voluerit, etiam ſi omnes ſcientias cupiat vno concludere cubiculo, & cum placet oculis leget corporalibus. Quintus eſt vt diuidatur Grammatica, vel quælibet alia ſcientia in partes minores & in vnoquoq; loco, ſine imaginibus aut literis, collocetur aliquid. E. G. in primo Definitio, in ſecundo nomen habet à literis, quas Græci appellant grammata, in tertio diuiſio literarum, in quarto quod fiat ex literis, ſyllabis, dictionibus; in quinto octo partes orationis, & ſic vlterius progrediendo ad finem vſque libri.

Iuuatur hic tantum memoria locorũ ordine, & diuisione, quibus si accedat exercitatio, mirum quantum producat effectum.

Ad Theologiam transeamus, quę pro materia habet Biblia, in primis igitur hæc collocanda: Quod vt fœliciter succedat, valde iuuabitur variis bibliorum per imagines editionibus, quas si velimus cõferre, tota biblia expressa videbimus. Sed quoniam illi imperiti fuerunt artis memoriæ, forte addẽdo, detrahendo, transponendo poterimus corrigere, & arti perfectius applicare. Non autem sufficit habere Biblia expressa per imagines, sed oportet habere interpretationẽ textus, vtemur ergo cubiculis triplicatis, & in primo loco ponetur: In principio creauit DEVS cœlum & terram, in opposito explicatio, quæ quoniam solet esse longior, interiorem habebo locum, ita vt textu duo loci respondeant, Theologus cupit

præ-

preterea retinere conciones, quas applicatas in castro Theologiæ disponet secundum regulas, de retinenda concione ostensas, accedente repetitione, omnes in specie retinebit: & cum illi ex tempore de re aliqua loquendum, tantum de qualibet re proposita afferet se materiæ, vt futurum sit difficilius exitum, quam introitum inuenire.

Deinde quatuor Doctores Ecclesiæ vel alios quoscunque controuersiam quamlibet cum vera interpretatione ac si bonus est Philosophus, quod requiritur in illo qui controuersias vult attingere, ad omnes obiectiones ab aduersariis allatas, facile respondebit, deteget vitium argumentationis, videbitur etiam quomodo casibus conscientiæ hæc ars applicetur, atque ex his Theologum, vel Theologiæ studiosum, colligere posse existimo, quomodo cuicunque parti Theologiæ applicari possit. Quod ad studiosum

ſum Iuriſprudentiæ, conſuluerim quaſi per prœludium omnes titulos per artem diſponere, regulas iuris & paragraphos, vt recto, & retrogradu, & intercalari ordine promte repetat: deinde in eodem Iuriſprudentię caſtro, in vna domo ad quam peruentum erit, quatuor libri inſtitutionum, in vno latere primum, in altero ſecundum, in tertio tertium, in quarto quartum. In ſequenti quatuor libri digeſtorum: totidem in ſequenti, donec omnes collocati. Deinde ad Codic. tranſitur, ac modo dicto 12. libri diſponuntur: postremo ad Nouel. veniendum, & cōmētationes in Corpus Iuris Mynſingeri, Gailii, Weſembecii, Cuiatii, & aliorum ſed quomodo id fiat in ſpecie debetis intelligere, duobus modis id fiet, primo, vt primus titulus ponatur in medio primi parietis primi cubiculi, & in locis circumſtantibus, quicquid de eo notatu dignum eſt, de eo titulo. In ſecundo

prima lex primi tituli & in circumſtantibus octo vel viginti locis. In medio tertij primus paragraphus, in medio quarti ſecundus paragraphus: in ſequenti cubiculo quatuor paragraphi ſequentes & ſic de cæteris, donec omnes paragraphi fuerint collocati, tum ſecunda lex & paragraphi, deinde tertia & paragraphi, donec omnes tituli, leges & paragraphi ſint diſpoſiti, cum iis in circumſtantibus locis, quæ notatu maxime digna vibebuntur: Alter modus eſt, vt tot ſumantur domus, quot ſunt tituli, & in vnaquaque titulus cum legibus, & paragraphis, ita vt non opus ſit vnaquaq; domo egredi, niſi omnibus legibus, & paragraphis inueniatur, quicquid de eis ſcitu dignum eſt & neceſſe.

Sed Iuriſconſultus ſit Aduocatus, Conſiliarius vel præſes. Aduocatus quod ſibi dicendum diſponet, fœliter proferet, quicquid viua voce ab aduerſa parte dicitur, excipientur,

pientur, & quicquid ad vnũquemque articulũ postea à se erit respondendum. Habebit cubicula opposita; in primo ponet ea quæ in causa egerit; in opposito collocabitur quicquid ab aduersarijs cõtra suum clientem actum est; atque ita permulta acie mentis transiens, videbit quid à se in causa fuerit actum, & in opposito quid ab aduersarijs: occurrentibus itaque in via publica clientibus, & de causis suis confuso ordine interrogantibus, considerabit in quoto hæc vel illa cubiculo & acie mentis percurrens, vnicuique respondebit, quasi omnia in manibus haberet descripta. Si modo bene suum fecerit officium, & repetitio non fuit neglecta. Si vero consiliarius, causas de quib. ad consilium referendũ, disponet, ac certius suo fungetur officio. In suffragijs ita procedet, vt habeat locos paratos, singula ab alijs prolata disponet, per regulam verum, ex quibus suum faciet

suffra-

ſuffragium, deinde aliorum poſt ſe etiam locabit, & omnibus latis, ſi quid ſuo adiungendum putabit, vt perfectius ſit proferet. Si autem Præſes fuerit, totam cauſam vtrinq; agitatam ſubito excipiet, diſponet deinde ſuffragia ſingulorum, ex quibus perfectiorem pronuntiabit ſententiã, quæ quidem iam fiunt naturalis memoriæ bonitate, & longa exercitatione, arte vero ſuccurrẽte multo fœlicius perfectiusq; omnia ſuccedere animaduertemus.

Ex his Iuriſconſultum, aut Iuris ſtudioſum perſpicere arbitror, quomodo artem ſuis accommodet ſtudiis, & functioni. Tranſeamus ad Medicinam, ſtudioſus Medicinæ per præludium diſponat in caſtro omnia ſua ſimplicia & aphoriſmos Hipprocatis, Deinde inſtitutiones Medicinæ, poſtea compendiũ Galeni, Hippocratis & aliorũ: Cauſas & indicia cuiuſque morbi cum remediis, Preſcriptiones pro vnoquo-

que morbo, quas deinde pro inten-
ſione, vel remiſſione, qualitate per-
ſonæ, ætatis, ſexus, temporis, & loci,
augere, vel minuere poterit, vt illa
omnia ſemper habeat, mediante re-
petitione in promptu. Conſiſtit au-
tem Medicina in duob. potiſſimum
1. In conſeruanda valetudine 2. In
morbis depellendis. Conſeruantur
ſobrietate, non ſolũ in victu & potu,
ſed in omni pręterea actione, & mo-
derata corporis exercitatione, ſal-
tus, deambulationis &c. Omniũ
difficilimum videtur recte poſſe co-
gnoſcere morbum, quod fit inſpe-
ctione oculorum, linguę, vrinæ ex
pulſu, & maxime ex reſponſione pa-
tientis, quem tamdiu rogabit, do-
nec aliquid eliciat, ex quo tanquam
vates colligens omnia, dicet cauſas,
dolores, tempora, intẽſiones, inter-
ualla & ſi morbus aliquis eſt ſim-
plex, facile adhibentur remedia,
& nunquam fere ex ſimplici morbo
homo moritur, ſed ſi plures intrica-
ti ſint,

ti ſint, tum difficilior eſt cura, & hi tales ſolent nos è medio tollere, quibus curandis nobiliore opus eſſe puto medicina: Chemica ſcilicet (quam quidam Paracelſiſticam vocat) quæ extractis oleis & aquis præſtantiſſimis, aliiſque ſingulari modo præparatis, effectus edunt admirabiles: ac vbi communis abſtinet Medicus, de ſalute ægri deſperans (pace veſtra quæſo hoc dictum ſit Galenici & Hippocratici) illi præſtantiorib. medicinis ægro ſalutem quaſi certam, Deo fauente, promittent, ac reſtituent, nulla ſtipulata mercede, niſi ſanitate reſtituta. Nō quod his verbis aliquid derogatum velim Galenicæ arti, ſed quod partem vtramq; coniungendam, nam Chemica, directa rationibus & exercitiis quæ paſſim fieri in ſcholis ſolent, aliquid ſingulare, nec laudo illos, qui ſine ſtudio & exercitatione, ſolo vſu, nobiliorem partem illotis quaſi pedib. volunt accedere,

ſed hic verum quod de Poeſi ait Horatius: Alterius ſic altera poſcit opem res: & coniurat amice.

Legatos ad Principes velim eſſe in Rhetorica & Dialectica verſatos, ac præterea multarum rerum habere experientiam: quibus niſi ornatus fuerit, non ſatis idoneum puto tanto muneri. Habebit cubicula triplicata, in primo loco primum diſponet per regulã rerum, articulum & quod tũ illi occurrit reſpondendum, in loco oppoſito, ita in cæteris progredietur, vſque ad 20. 30. 40. 50. abſoluta nomine Regis vel Principis narratione conuertet ſe ad primum locum, & ex duabus aut pauciſſimis imaginibus leget ac repetet articulum: ex oppoſito reſponſum, nullo prætermiſſo, ꝙ quidẽ quotidie fieri videmus à multis in decẽ, viginti, viginti quinq; aut triginta, exercitatione & longo vſu, ſed artis adminiculo, & certius id ipſum, & in plurib. fiet. Procurato-

res

res quemadmodum ſe dirigere debeant ex iis, quæ de Aduocatis dicta ſunt, poterunt animaduertere, ideo ne longiores ſimus, vel ſæpius eadem dicamus, inde petenda relinquo.

Mercatorum actiones omnes ſunt figuratæ, & imagines habent in promptu ideoq; ſicuti libris ſingula inſcribere ſolent, ita faciant in locis per imagines, vel per literas maiores inſigni colore, & breui exercitio conſequentur promptitudinem legendi acie mentis.

Nuncii & alii, ex ſupradictis etiam ſuæ poterunt ſuccurrere memorię, quamuis mihi ars nobilior videatur, quam vt alijs quam ſtudijs excultis demonſtretur: non enim ex quouis ligno fit Mercurius, ideoque cum iudicio artes ſunt aliis tradendæ.

Ex ijs quæ ſexta, ſeptima, & octaua, lectionibus dicta ſunt, animaduerti poteſt bibliotheca omnium li-

brorum arti applicatorum. Nam cum ſingula ſuis caſtris, domibus cubiculis, parietibus, locis per aptam diuiſionem in partes maiores & minores, applicata & expreſſa ſint, vt ad ea acie mentis confugientes, legere vel ſaltem repetere valeamus, non obſtat loci diſtantia, vt experientia cuique conſtare poteſt, quoſcunque ergo libros per artis regulas diſpoſuerimus (poteſt autem id in pluribus fieri) ad hos confugere licebit, tanquã bibliothecã materialẽ, & inde quæcunq; libet, legere, ſcribere ac depromere, quæ magno iudicio certo aliquo loco cõcipienda, & firma relinquenda, nam momento temporis in eam nos mente ſiſtere licet, & ea vti. Si quis penitius rem introſpiciet, verum nos dicere inficias non ibit. Si quis vero obiter tantum audiat, & legat, nec exactius examinet, forte non ſatis aſſequetur: ſed nos initio ſtipulati ſumus amorem & deſiderium adferenda,

renda: nihil alioqui magni assecuturos auditores vel lectores.

NONA ET VLTIMA LECTIO.

REstant vt 28. regulas in medium adducamus, quibus obseruatis, maiore cum gratia, memoriæ ars exercetur, quæ tam faciles sunt, vt lectæ ex superioribus intelligantur: ideoque aliquas tantum exemplis illustrabimus, vt ea occasione dicamus de arte memoriæ, neque locis neque imaginibus constante. Pro prima regula igitur hæc erunt obseruanda, quod oporteat imaginibus dare actiones ipsarum actioni conuenientes: non enim recte actio fabri lignarij concionatori, aut contra attribuatur: Secunda. Quando aliquis concionem, orationem, aut causæ actionem, artis regulis applicuit, in dicendo cauere debet à gestibus indecoris ab arte pronunciandi, vt si immobilis, defi-

xis in parietem vel in terram oculis ſtaret, ſeu reſpiceret in hunc vel illum locum, &c. Nam ex præcipuis eſt poſſe celare artem, dexteritate & libertate geſtuũ obſeruata. Tertia, ſi forte occurrãt 10. vel 12. vocabula, quæ quis videtur retenturus ſine applicatione, tum non opus eſt ſubire laborẽ imaginum collocandarum, ſed ſufficit notare præcipuum, quod nobis alia reducat in memoriã. Ex his dubito an ex mente illius, qui dictam regulam posteris reliquit, alius quis elicuerit artem illam, quæ nec locis, neq; imaginibus vtitur: quæque prima fronte parui videtur momenti ſi tamen debito modo applicetur incredibiles producit effectus, ea ſic ſe habet. Excogitantur vocabula quædam artis, in quibus vnaquæq; litera repræſentat primam ſentẽtiæ dictionem, ſeu primariam exempli memorabilis vel hiſtoriæ: qua habita, facile excitatur memoria ad repeten-

tendum quod iam antea impressum habebat: e.g. Putonsin: P. Princeps, V. vt in mare, T. tyrannorum, O. obedientia, N. nulla, S. seruire, I. in rebus, N. nobilis: initia sunt octo sententiarum. Sic sequens: auamagaserap: refert duodecim exemplorum vocabula primaria, quibus solet regula rerum illustrari. Sed videtur melior esse modus, si vocabula sint ex syllabis composita: vt, antuespal, Antiochus, Vespasianus, Alexander: plus enim memoriæ succurrent. Non potest ea exerceri ex tempore, sed oportet per otiũ hæc vocabula excogitare, deinde ex multis facere aliquot carmina, vel hexametra, vel elegiaca, vel saphica, & adminiculo vnius elegiaci 15. aut plurium sententiarum, exemplorum memorabilium, vel historiarum meminisse possumus: sed alias hic subiungamus regulas.

4. Oportet imaginibus tribuere motum, si vero res fuerit immobi-

lis, ponenda eſt perſona, quæ decenti actione moueat.

5. Non conuenit imagines eſſe ocioſas, alioqui non ſatis excitaret memoriam. E. G. ſi equus ponatur, debet pede terrã pulſare: ſi lupus oues deuorare, & hę duæ regulæ ſatis patent ex regula vocabulorum intellectorum, vbi dictum eſt, attribuendas excellentes actiones.

6. Si res eſt animata, ſed parua, vt acarus, culex aut ſimilis, tribuendæ erunt imagines maiores, ſeruata tamen ipſamet figura: vt ſi culex magitudine columbæ ponatur, acarus oui, &c.

7. Imagines habeant proportionem ad locum, & non excedant, vt à pictoribus fieri conſueuit, qui in exigua tabella exercitum, vel regionem magnã ad oculum monſtrant.

8. Requiritur præterea vt perſonæ in locis collocatæ ſint grandes, viuæ, & efficaces, quoad fieri poterit: quoniam plus excitant memo-

riam, quæ etiam ſatis eſt explicata in regula vocum intellectarum.

9. Ne ſint ſolitæ eſſe in loco, in quo collocandæ erunt, non enim ſatis efficaciter excitarent memoriam: vt, ſi ſedes conſueuit eſſe in loco, & tamē ibi pro imagine ponenda, inuerſa vel pendens conſtituatur; quo ſigno conſtabit, non rem ordinariam, ſed formatam eſſe per imaginem.

10. Ex improuiſo collocantibus ſufficit vnam in loco ponere imaginem, ſed per otium & lente ſi fiat, non eſt inconſultum plures vno in loco conſtituere, bene diſtinctas & commode ſe oculis mentis offerentes.

11. Imagines habeant actiones deformes, fœdas vel ridiculas, quia plus mouebunt, fiat tamen ſine inhoneſta, & indecora repræſentatione.

12. Docte Cicero monet de vigore ſeu vita imaginum, quoniam res,

quas experientia cognoſcimus intenſe facere ad ſui cognitionem & contemplationem, idoneæ ſunt ad efficaciter excitãdam memoriam, quales ſunt res nouæ, raræ, admirabiles, deteſtabiles, ridiculæ, deformes, horribiles, monſtroſæ, vel excellentes pulchritudine. Item res excellentes in dignitate, vel in contrario, vt Papa, Imperator, Rex, pauper laceris veſtibus, ſcabie plenus, &c.

13. Repetitione quadam vtendum in collocatione imaginum, poſitis quinque vocabulis, quatuor vel quinque ſententiis, vel periodo, repetenda priuſquam vlterius progrediamur: illa & diligens conſideratio valde ſtabiliunt memoriam.

14. Si hoc die res aliqua poſita ſit pro imagine, eadem pro alia re non eſt ponenda ſequenti die, vt ſi hodie imaginem agni pro agno poſuerimus, cras eadem non erit vtendum pro innocẽtia: quoniam confuſio-

fuſionem poſſet inducere, præſertim ſi prioris non ſimus obliti, aut non bene fuerit per ſigna variata, aut bene firmata diſtinctione mentis, & repetitione.

15. Cum oratio vel Periodus memoriæ commendanda eſt ad verbum, primum bis terve legenda eſt tarde & attente, deinde diuidenda in partes maiores, & minores, quarum imagines collocantur in locis, vt ſupra dictum eſt.

16. In collocatione vocabulorum, hæc genus per ſexum indicant, vt ſi diuitiæ exprimendæ, fœminam diuitem ponam, ſi liber virum exercentem actionem libro.

17. Figuræ & imagines habeant proportionatam altitudinem, ne oculus ſe nimium debeat eleuare, vt videat; aut nimium ſe dimittere: deinde cauendum ne imago vna alteri ſuperponatur: nam prior deleretur.

18. In formatione imaginum non opor-

oportet nimium festinare, nisi vrgeat necessitas, nam occurrente postea imagine magis idonea, difficile erit eam collocare, alia prius sublata, & molestum omittere meliorem: consideranda igitur omnia diligenter, antequam imagines collocentur.

19. Ante omnia videndũ, vt imagines sint rerum notissimarum, & abstinendum à fictis & incognitis, cum haberi possunt veræ & cognitæ, & à minus cognitis cauendum, occurrentibus plus manifestis.

20. Quemadmodum similitudo locorum multum obest in iis formandis, ita etiam imaginum in earum formatione: ideoq; danda est opera, vt sint diuersæ, ne alioqui error suboriatur: quæ diuersitas facile habetur, vel per signa, res attributas, actiones, vel alia accidentia: vt tres Papæ, vnus clauem, alius anchorã, tertius cornu manu teneat: tres viri, vnus saltat, alius pugnat, tertius ludit alea, &c.

21. Habenda quoque ratio eſt æquiuocorum, & ſynonymorum, ne pro cane cœleſti dicatur terreſtris; pro petra ſaxum; pro enſe gladius; pro fœmina mulier, &c. ne cum res diuerſis exprimantur nominibus, vnum pro altero ponatur, quæ mẽtis attentione diſtingui poſſunt, in collocando & repetendo, vel alio ſigno.

22. Si plures imagines exprimendæ ſint vno in loco, perſonę variandæ ſunt, vt vna vel duę magnæ, cum pluribus paruis, ne tam multi impleantur loci, & repleti diuerſitate ipſa ſint efficaciores.

23. Cum verba & conceptus capiuntur charta, & in loco collocantur, non eſt applicanda memoria chartæ, vel locis, ſed his ſolum, quia diſtractio parit confuſionem, & vacillationem.

24. Hac arte non eſt vtendum in omnibus paſſim rebus, ſed tantum in retentu difficilioribus, vt in cau-

ſarum

ſarum actionibus, diſputationibus concionibus,&c. Poteſt tamen aliquis, ſucceſſu temporis rebus quibuslibet grauioribus, magiſque ſeriis applicare: vt latiſſime patet ex octaua Lectione.

25. Requiritur ad hanc artem bene exercendam vacatio mentis, ne per occupationem exteriorem virtus naturalis diſtrahatur, minuſque idonea ſit ad officium diſcrete faciendum: iuxta tritum vulgari ſermone prouerbium: Pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus.

26. Vt fœlicius ſuccedat in hac arte exercitatio, requiritur in operatore manſuetudo, ne ira, amore inordinato, odio, impatientia vel alio turbetur affectu.

27. Sobrius quoque ſit, ne per ebrietatem vel crapulam virtutes naturales ſuffocentur, alioqui ſenſus interiores ſuperfluis humorib. impedirentur, vt recte ſuo nequirent fungi munere.

28. Tempus magis idoneum, cum cæteris fere in rebus tum præcipue in ſtudiis, eſt matutinum; quia poſt quietem, & dum liber eſt animus ab aliis occupationibus, aptior eſt ad ſuſcipiendum; iuxta prouerbium: Aurora muſis amica eſt: Non quod veſperi hora 7. 8. 9. non liceat quadrante vel ſemihora huic exercitio vacare, velut etiam 8. 9. 10. ante meridiem, & 3. aut 4. poſt meridiem ſi cui per negocia liceat (nam ita faciẽdum artis amatoribus, pręcipue ſtudioſis) ſed quod vtilius commodiuſque ſit tempus magis idoneum eligere, reb. grauibus expediendis.

Sed tranſeamus ad methodum ſtudendi artibus liberalibus, & grauioribus diſciplinis, minore labore & fructu maiore, connexam arti memoriæ qua quis cõmilitones ſuperet hoc deſtitutos, quamuis ingenio & induſtria præſtantiores: Quã quidẽ perſpicaciore ingenio Lectores ꝑ ſe colligere queant ex o-

omnibus ſupradictis, tamen in alio-
rum gratiã eam hic nũde propone-
mus. Cõſiſtit ea in vndecim articu-
lis 1: Vt eius diſciplinæ. cui volumus
dare operam, auctores præſtantio-
res noſcamus, ac vnum ex omnibus
Principem eligamus, in quo omne
ſtudium, & induſtriam collocemus,
reliquos tamen ſemel percurramus.
Diſtribuendi erunt in tres ordines,
in primo erit primarius ille, vt in
Theologia, Biblia, in Iuriſpruden-
tia, Inſtitutiones, & Corpus Iuris, in
Medicina, Hippocrates & Galenus;
in Philoſophicis, Ariſtoteles; inter
oratores Cicero, inter Poetas Virgi-
lius, &c. Habendi tamen & legendi
ſecundi & tertii ordinis auctores, vt
ſi quid vtile & notatu dignum, quod
non eſt in primario, aut non tam be-
ne, inde transferatur in ſuum locum
apud Principem. Nemo enim in
omnibus ęque excellit, & vilis ali-
quis ſcriptor, interdum partem a-
liquam melius tractat, quam excel-
lens,

lens, qui cum plurima egregie ſcripſerit, quędã tamen ab eo non tam excellenter tractata, atq; apud alios medij aut infimi ordinis inueniuntur, qui multa vulgariter, vnum vel duo eximie tractarunt. Præterea quæ plures eadem habent, abſolute & perſpicue ſatis in vno ſeruanda notatis in margine locis, in quib. apud alios inueniantur, vel ſaltem in indice referantur.

2. Libri deinde eorum in compendium redigendi, tranſportatis eo omnib. ſcitu neceſſariis, vt quaſi vnum ex omnibus fiat corpus.

3. Tum apte diuidantur in libros, capita, materias, idque per partes maiores & minores.

4. Vnaquæque imago, quæ adeſt ſemper, ac ſe offert exprimenda, & ſuis quæque locis, vt ſupra dictũ eſt, diſponenda.

5. Repetitio quotidiana partis alicuius maioris certa hora eſt inſtituenda, vt parta conſeruetur, & iu-

ſta indies fiat acceſſio, quod caput eſt in omni ſtudio.

6. Vulgo nota ſunt de lectione præuidenda, diligenti mentis inter docendum attentione, & retractanda, quæ pauci obſeruant: qui vero id faciunt, hoc ſolo, reliquos id negligentes, longe ſuperabunt.

7. In diſputationibus, paucæ, ſed vtiles quæſtiones eas ſi ignoremus memoriæ commendantes, aut libris, vt ex ipſis fructus ſequatur: neglecta illa puerili diſputatione, qua certant liberare ſe, ne ad pulſum finiendę diſputationis in Catalogum referãtur ac à Præceptore die Sabbathi; ſi ſæpius (quod caſu fieri poteſt) notati fuerint, negligentiæ accuſentur: nulla fere alia in diſputando vtilitate.

8 In dubiis frequenter doctiores commilitones, vel ipſi profeſſores ſunt conſulendi, quod quidam negligunt, timentes prodere ſuam incapacitatem ſed depellenda eſt iſta timi-

timiditas, ſtudijs perniciosa, quid enim tua refert, ſi finito curſu, tu omnium ſis doctiſſimus, quam Profeſſor de te habuerit opinionem? quamuis frequens dedubiis conſultatio, infallibile ſignũ ſit diligentiæ.

Nota eſt Ariſtotelis ſententia, Dubitarede ſingulis non eſt inutile.

9. Omnia ſemper ſtudia fiant per interualla temporis, vbi hora in ſtudiis poſita, tãtiſper reſpirandũ, optime n. ita ſuccedũt: ac plus proficiet ſex vel octo quotidie horas impendens intermiſſione quater interpoſita, quam qui à quinta ad vndecimam, & à prima ad ſeptimam vel octauam continuis ſe necat laboribus, ingenium obtundens potius quam exacuens.

10. Tempore feriarum, poſtquam animus honeſtis recreationib. fuerit relaxatus, & corpus moderato refectum exercitio, ſaltus moderati vel artificioſi, deambulationis pilæ, &c. aptiora ſunt multo ad ſtudia,

valetque tum acies mentis, vt cultri post iustam acuitionẽ. Si igitur duabus, aut tribus horis lusui honesto tributis, vna subtrahatur studiis tribuenda, deinde per vnã aut duas ad lusum redeatur, illa plus proficitur, q̃ aliis duabus, & ingeniũ tum penetrare, & quasi in clara luce videre experiemur, ad q̃ alioqui cæcutimus.

11. Ad hanc methodum etiam facit plurimum index vocabulorum, sententiarum, rerum, locutionum, artificii Rhetorici, & Dialectici, &c. & omnium quæ in authoribus leguntur, aliqua de causa, notatu dignorum, quæ ad indicem referenda, factam per locos cõmunes, Deus, angelus, anima, corpus, Pontifex, Cardinalis, Episcopus &c. Imperator, Rex, dux &c. per dignitates Reip. Christianæ, Ecclesiasticæ & ciuilis, per nomina virtutum vitiorum, officiorum, & exercitiorum, prout ab aliis loci illi communes digesti sunt, nõ quod omnia

ſint deſcribenda, quod maximi eſ-
ſet negocii, ſed vno vel altero tan-
tum verbo, vel ſaltē quam paucissi-
mis fieri poterit, annotandus locus,
in quo hæc aut illa inueniantur: ad
eum fere modū (quod quidem attinet
ad materias) quo index biblicus col-
lectus eſt: ſi enim id prudenter fiat
(magnum ſtudiorū compendium
indico) vnuſquiſq; liber ſemel tan-
tum erit magno cum fructu legen-
dus, & tamen quæcunq; notatu di-
gna, indicis auxilio, ſemper in prō-
ptu habebimus, alioqui legendis re-
legendiſque libris, vita hominum
breuis conſumitur, atq; indefeſſo
ſtudio, bonæ methodi defectu Syſi-
phi ſaxum perpetuo volutamus,
omnibus itaque authoribus ſemel
lectis, ſi quid mihi viua voce, aut
ſcriptis tractandum, indice diri-
gar per omnes auctores, quos in pul-
pito collocato, ſuo quemque ordi-
ne & materiam ſeligam meo iudi-
cio conuenientem, redigam in or-

dinem, addam elocutionem, & ſic confecero librum vno menſe vel duobus, quē alioqui trib, quatuorve annis non abſoluerem, de quacunque re loquendum, ſemper erit per indicem præſto.

Videtur hic aliquis rogare: Cicero, Virgilius, Ouidius ſemel tantum in vita legendi? etiam vt quicquid notatu dignum ſubito poſſis habere: Sed vt genius oratorius ſe inſinuet, legēdum aliquid frequenter ex Cicerone: vt Poeticus ex Virgilio, Ouidio, vel alio, quē ſibi quis imitandum propoſuit: atq; hæc faciunt ad methodum ſtudendi in genere: Sed daturus operam Philoſophiæ, comparabit dictata ſub eodē præceptore curſu præcedenti ab aliquo,, qui cęteris perfectius exceperit, eaque precibus vel precio impetranda, ex his præuidebit, quę Profeſſor docturus eſt, diligenter audiet, retractabit poſtea, ſi quid addat vel mutet, notabit: Ac pleniſſi-

nissime docentem assequetur. Non contentus tamen iis habebit commentarios eius vniuersitatis, in qua studiis dat operam, & videbit an aliquid notatu dignum in iis sit, quod non habeatur in dictatis, vel commentariis suæ Academiæ: si fuerit (vt non est dubium, quin multa erunt) ad sua dictata transportabit, vt ex omnibus vnum fiat corpus, quod diuisum, per castrum, domos cubicula, &c. applicabitur, vt ex supra dictis patet. His accedat repetitio quotidiana eorum quæ docta sunt, vsque ad eum locum, ad quem Professor peruenerit docendo, deinde ab initio, ad locum, ad quem tum peruenit, idque vsq; ad finem. Finita logica vna semihora matutina & alia vespertina repetet aliquá partem logicæ diuisæ in triginta repetitiones, vt singulis mensibus totam repetat. Vel si velit duas semihoras coniungere, vt continuam mane impendat horam, cuiusque

relinquitur arbitrio. Eodem modo procedet in Physica, Metaphysica, repetens quotidie alia statuta hora quæ audiuit, & postea totam physicam diuisam in 30. repetitiones: & ita suo tempore de Metaphysica. Hoc modo fiet, vt omnia quæcunque didicerit retineantur, & quotidie fiat accessio, quod caput studiorum esse ante dictum est. Eueniet etiam vt cunctis simul memoriæ inhærentib. & collatione omniũ inter se, videlicet principij cũ medio fine, huius cum principio & medio & huius cum vtroque melius longe intelligantur & multa ex iis dubia occurrentia, vel quæ ab aliis obiiciuntur, ad quæ alioqui cæcutimus, soluantur: tantaque hinc nascitur alacritas, vt vix dici possit, dum in examine publico vel priuato, item in disputationibus ad proposita expedite respondetur, & ad quæstiones aliis propositas animus respondere gestiat. Valde præterea consultum

ſultum eſt, à parentibus, magiſtris & filiis proponi aliquod præmium certa ſub conditione, videlicet, ſi effeceris vt filius euadat omnium doctiſſimus, dabo tibi 50. aureos, ſi ex duodecim primis ſit 30. ſi ex viginti quatuor 20. filio proponat 12. coronatos: Illi præmio illecti nihil omittent, quod ſui ſit officij ſępe ad ſe vocabit præceptor, examinabit, quæſtiones doctioribus proponi ſolitas exhibebit, ad dubia propoſita promtus reſpondebit: Adoleſcens freno potius quam calcaribus indigebit: Quid multa? Effectus ſequetur præmio dignus. Si quis dicat, nota illa eſſe & vulgaria, non quidem plane diffiteor in genere nota & vnum hęc ex dictis, alium alia ſcire vel etiam obſeruare: Sed omnia cōiunctim & quaſi in faſciculū collecta ſimul ad praxin ſunt reducenda: Et effectus haud dubie ſequetur admirabilis, & inexpertis omnino incredibilis.

INDEX

INDEX MATERIARVM ET RERVM MEMORABILIUM, quæ hoc opusculo continentur.

Index primæ Lectionis.

Index secundæ Lectionis.

In dex tertiæ Lectionis.

Index quartæ Lectionis.

Index quintæ Lectionis.

Quid

Index sextæ Lectionis.

Index Septimæ Lectionis.


Index Octauæ Lectionis.

Index nonæ Lectionis.

Ari-

INDEX.

FINIS.


Ste

gura I. habens quinq; locos. Fig: 2. habens decē locos.





Fig: 4. habens. 50. locos.



(2)

Figura 3. habens. 25. locos.




Fig: 5. habens. 60. locos.



